

quod possideo, licet terram non possideam. Unde talis defensio non est causa damnorum, quæ sequuntur innocentibus, quia supponit aliam priorem causam illativam damnorum, scilicet illum qui prius aggressus est. Non interveniente autem causa damnorum innocentium ex parte istius, potest iste tueri jus suum probabile, et illo uti defendendo se, ergo sufficit probabilitas illius juris ad bellum defensivum.

XX. Dices: Non potest stare casus iste probabilis defensionis in nostra doctrina, quia nos dicimus, quod non potest aggredi quis bellum, et invadere nisi existente jure suo, et sententia probabiliori et segura, ita ut alter minus probabilem habens sententiam teneatur cedere juri probabiliori. Ergo si aggreditur et invadit, supponitur habere probabilius jus, et alterum debuisse ei cedere, qui minus probabilem habet sententiam, ergo non poterit se defendere; et sic nunquam dabitur casus, in quo possit defensivum gerere bellum qui solum probabilem, aut minus probabilem habet sententiam.

XXI. Respondetur posse dari casum, quo aliquis cum probabili tantum sententia bellum defensivum gerat, tum si alter solum æque probabile jus habeat, et tamen prius aggreditur, et invadat, tunc enim alter jure se defendit; tum secundo, si ab alio externo nullum habente jus invadatur ille, qui solum probabile habet, et non probabilius, neque certum, tum tertio; si alter habeat quidem probabilius jus, sed non practice securum hic et nunc attentis circumstantiis, licet speculative, seu disputative probabilius appareat.

XXII. Dico tertio: In impositione tributorum, et onerum non potest princeps duci, nisi certa et evidenti necessitate, ita quod propriæ ejus

facultates non suppetant ad talem necessitatem; non vero sufficit sola causa, et opinio probabilis. Ratio est, quia in istis gravaminibus populus spoliatur re sua quam possidet, cogitur enim exhibere, quod suum est principi, ergo in solo easu probabilitatis et dubii, melior est conditio populi possidentis, quam principis tributum imponentis.

XXIII. Et confirmatur, quia princeps non est dominus facultatum subditorum, ut pro libito, aut pro quocumque motivo de illis disponat, sed solum in ordine ad bonum commune, quando non potest conservari sine dispendio facultatum subditorum; sicut etiam potest disponere de vita subditi, quando est nociva bono communi, nec potest aliter conservari, nisi per mortem alicujus. Ergo si non est certum quod facultates subditorum sunt necessariæ pro bono communi, nec quod necessitas communis est constans, sed solum datur in hoc probabilitas dubitativa, non potest princeps talibus facultatibus uti, et gravare illas tributis pro tali necessitate; sicut non potest uti vita subditorum, eamque tollere propter solam probabilitatem, et casum dubium. Sic oportet quod necessitas publica sit certa et firma, ut propter illam possit princeps facultates subditorum gravare.

XXIV. Et præsertim hoc urgentius currit, quando pro istis tributis, seu gabelis exigendis, ut recuperandis tantæ fiunt molestiæ, et oppressiones subditorum, ut plus in exactoribus, et receptoribus, aliisque ministris impendatur, quam valeat totum tributum, quod principi penditur pro illa necessitate. Quod nostris temporibus plus lugemus quam ex historiis legimus.

XXV. Dices: Judex in causa civili potest uti probabili sententia, et ad judicare rem cui maluerit, si utra-

que sententia est æque probabilis; ergo etiam si sit probabilis opinio circa indigentiam tributi, et necessitatem reipublicæ poterit pro illa sententiam ferre princeps, et condemnare facultates subditorum, ut illi succurrant, et non pro ipsis subditis ut retineant, quod est gravare ipsos tributis.

XXVI. Respondetur non posse judicem uti probabili sententia contra possessorem bonæ fidei, et quietiam probabiliter possidet, quia in dubiis melior est conditio possidentis. In casu autem impositionis novi tributi, et gravaminis agitur contra possessionem populi, qui re sua spoliatur; ergo in casu solius probabilitatis pro principe, non potest populus spoliari; præsertim cum ipsa exactione tributorum interveniat plerumque ingens damnum ultra necessitatem tributi propter violentiam, et extorsionem exactorum, aut subditorum repugnantiam.

XXVII. Existente autem vera, et legitima necessitate reipublicæ, nec suppetentibus facultatibus principis, sed exhaustis, non est limitatio aliqua in imponendis tributis, nec illam ponit D. Thomas in opusculo XXI, ad ducissam Brabantiae, quæ super hanc rem consuluit sanctum doctorem, sed tantum imponi potest de tributis quantum illa necessitas postulat, et tamdiu continuari, quamdiu durat illa necessitas. Qua cessante, debet etiam cessare tributum, nisi inde talia debita sint contracta, quod pro illis solvendis necesse sit contributionem prorogari, cum majori tamen moderamine, et alleviatione populi, quæ possibilis fuerit, sive detrahendo partem, sive prolongando solutionem, si sine magno detrimento fieri possit. Solet enim aliquando respublica ita exhausta manere, ut magna alleviatione indigeat, ut possit debitis satisfacere.

XXVIII. Illud tamen valde oportet notare, quod si princeps possit quocumque modo ex suis facultatibus succurri pro illa necessitate, non potest populum gravare novis tributis. Quod si facultates, et bona principis sint ab aliis usurpata, vel ministrorum incuria, aut defectu sic neglecta, ut parum, aut nihil fructificent principi, et ipse possit hoc inquirere et scire, tenetur omnem diligentiam facere, ut bona illa sic usurpata, aut neglecta restaurentur, antequam tributa illa imponat. Quod si negligens in hoc fuerit, et tamen gravet populum tributis, peccat mortaliter usurpatione alieni. Si vero magna urgeat necessitas ita instantanea, et præsens quod non suppetat tempus ad recuperanda bona sua, et rationes, seu computum honorum expendendum, et interim urgeat hostis, vel alia ingens necessitas, poterit tributa illa exigere, et contributiones petere interim dum illa instantanea necessitas urget, non omittendo interim diligentiam facere pro recuperatione illorum bonorum, ut illis recuperatis possit alleviare rempublicam, nec amplius gravare.

XXIX. Et ratio istorum est quam insinuat citato loco sanctus Thomas, quia principii dantur a subditis facultates, et redditus ad sui sustentationem, et reipublicæ defensionem. Gravatio vero populi in majoribus tributis est ad supplendum defectum istorum reddituum, et facultatum principis. Ergo quamdiu illa suppetere possunt, aut vindicari, non potest jure populus gravari.

XXX. Quod si petas, quæ necessitas reipublicæ requiritur ad justificandam istam impositionem tributorum, requiritur extrema necessitas reipublicæ; an sufficit gravis, circa tamen extremam,

XXXI. Respondetur non requiri necessitatem extremam, sed suffice-

re gravem, dummodo pro illa reparanda non suppetant principis facultates, gravatio quippe subditorum in novis tributis solum potest justificari quando non suppetunt principis facultates. Quod ergo sufficiat gravis necessitas et non requiratur extrema deducitur ex doctrina D. Thomæ 2-2, quæst. xxxii, art. v, ubi agens de obligatione dandi elemosynam, dicit non obligari aliquem dare nisi ex superfluo, ex proprio autem, et sibi necessario non obligatur elemosynam facere, nisi vel in extrema necessitate proximi, vel in necessitate gravi reipublicæ, ubi sanctus doctor æquiparat gravem necessitatem reipublicæ extremæ necessitati privatæ. Et recte, nam gravis necessitas reipublicæ, ut bellum, pestilentia, aut fames, parit multas extremas necessitates privatas, ut patet in bello, ex quo tot direptiones, et desolationes oppidorum resultant. Eodem ergo modo tenetur quis succurrere necessitati extremæ privatæ, et gravi reipublicæ. Si ergo debet quis ex necessario sibi, et non solum ex superfluo succurrere gravi necessitati reipublicæ, ergo tenebitur pro tali necessitate sublevanda, tributa, et gravamina imposita sustinere, quia iste est modus succurrendi gravi necessitati reipublicæ, scilicet per contributiones, et tributa, aliaque similia gravamina.

XXXII. Quod etiam confirmatur, quia redacta republica ad extremam necessitatem, non poterit a suis subditis, et membris succurri, quia extrema necessitas reipublicæ est quando ejus membra, ex quibus republica constat, in extremam necessitatem sunt redacta, in tali autem casu talia membra sic oppressa non possunt succurrere reipublicæ, quia sunt in eadem extrema necessitate. Ergo ut teneantur subditi succurrere reipublicæ laboranti non est

necesse devenire ad extremam necessitatem, sed illam prævenire, ne in talem extremitatem incidat, quod contingit quando est in gravi necessitate, nec principis suppetunt facultates.

XXXIII. Secundo inquires, an principi, vel ministris ejus affirmantibus gravem istam intervenire necessitatem, nec suppetere principis facultates, ita sit credendum, ut statim obligentur subditi tributa, et gravamina nova persolvere, possitque id tute consuli principi; an vero major aliqua notitia necessaria sit pro justificatione novi tributi.

XXXIV. Respondetur quod in justificandis novis tributis affirmatio quidem principis, maximæ auctoritatis est, nec discuti debet a subditis per se loquendo, nisi aliqua rationabilis dubitatio se offerat, aut ex aliis successibus constet principem sinistre fuisse informatum, vel deceptum; tunc enim justum est prius monere principem de illa sinistra informatione. Nam principes et pontifex ipse etiam in his rebus opinione ducuntur, ideoque recte tolerant si quando pro veritate informanda eorum mandatum prætermittitur, ut dicitur in jure, et constat ex capite Si quando de re scriptis; et Alexander III, in capite Cum teneamur, de præbendis. Si autem non sit suspicio, principem sinistre fuisse informatum, aut deceptum, vel negligentem se gerere in veritate inquirenda, aut quod pejus est velle decipere, et decipere, standum est ejus dictis.

XXXV. Sed tamen in hoc oportet attente, et prudenter procedere, quia si non constat clare de necessitate gravi reipublicæ et deficientia facultatum principis, oportet tria præcipue discutere in propositione tributi, seu gravaminis. Primum est, necessitas reipublicæ qualis sit, et quæ proportio detur inter gravamen

impositum, et talem necessitatem, ita ut non excedat: secundum est, circa principis facultates, et bona, an revera sint exhausta, et non suppetant; an sub aliorum ministerio usurpata: tertium est, circa exactiorem, et effectus, pro quibus tributa ista, et contributiones fiunt, an fiat exactio sine violentia, et oppressione pauperum, et effectus pro quibus fit contributio; an revera pro illis deserviat; an in alios effectus convertatur, et recte administrentur ea, quæ a populo contribuuntur; an vero ministrorum incuria, vel malitia dissipentur, vel rapiantur. Hæc maxime oportet considerare in impositione gravaminum, et tributorum reipublicæ. Licet enim principi maxime adhibenda sit fides proponenti necessitatem reipublicæ et suarum facultatum attenuationem, tamen si sit negligentia, et incuria ministrorum, aut etiam dissipatio vectigalium, seu tributorum, aut facultatum principis, et inde oriatur, et crescat oppressio, et necessitas reipublicæ, de hoc ipso monendus est princeps, teneturque in conscientia omni modo, et via possibili inquirere circa hoc, et bona sua vindicare, et super ministrorum incuriam, et minus attentam administrationem vigilare, quam tot gravamina, et tributa imponere.

XXXVI. Quod si princeps negligens fuerit circa hoc, peccabit imponendo nova tributa, quia ejus negligentia, et omissio est causa talis dissipationis honorum, et consequenter gravaminis, et oneris, quo affligitur populus ob paucorum negligentiam, aut malitiam, vel exactorum violentiam, quam non emendat, sed permittit, juxta quod Dominus conqueritur de principibus, Micheæ vii dicens: *Princeps postulat, et judex in reddendo est.*

XXXVII. Dico quarto circa mutationem monetæ: Ad formandam jus-

tam conscientiam principis in mutatione numismatis ex qua timetur damnum reipublicæ non potest princeps sequi probabilem sententiam, et minus securam, relicta probabiliori, et securiori. Pro intelligentia hujus, notandum est ex philosopho in iv politicorum, quem refert D. Thomas lib. ii de regimine principum, cap. xiii: « Quod numisma est regula, et mensura omnium commutationum in his, quæ pretio æstimantur. » Unde moneta, ut ibi dicit S. Thomas, dicitur quia monet mentem, ne fraus inter homines, cum sit mensura debita, committatur. Et cum pertineat ad principem regulare, et dirigere omnia, quæ ad gubernationem regni pertinent, maxime ad ipsum pertinet monetam cudere, et numisma constituere in valore, et pondere debito pro commutationibus, et commerciis. Unde si diminuitur valor numismatis, minuitur quoque valor divitiarum, et opum reipublicæ quæ ex numismate magna ex parte constant, et reliqua commercia, et commutationes valde deordinantur. Si autem valor numismatis, et pecuniæ crescit, mercium valor etiam crescere solet, et multum turbari commerciorum et commutationum ordo, præsertim in his, quæ ab externis partibus invehuntur. Et causa minuendi valorem monetæ solet esse vitium ipsius, quia majorem habet valorem quam intrinsecum, et legitimum, ideoque ab externis introducitur, ut legitimam monetam ex regno corradant, ut his temporibus in Hispania experti sumus: aliquando etiam avaritia principum, aut ministrorum, vel aliis de causis vitiatur numisma, vel in pondere, vel in qualitate metalli, aut puritate, unde caret legitimo valore pro commutationibus. De quo ad regem Aragoniæ est admonitio Innocentii III, in capite Quanto, de jureju-

rando. Causæ vero augendi valorem in moneta est, vel inopia, et defectus pecuniæ in regno, vel superabundans valor intrinsecus, qui majus augmentum potest tolerare, sicut in Hispania uncia argenti valet octo regalibus, et tantumdem valet in ipsis Indiis unde eruitur ex fodinis metallum. Unde videtur debere plus valere, et crescere in Hispania, attenta conductione, aliisque expensis in beneficio metalli.

XXXVIII. Nec disputamus modo de variis causis, quæ subesse possunt pro mutatione monetæ, et de convenientiis, vel inconvenientibus, quæ inde possunt sequi, sed solum agimus in præsentia de modo, quo formari possit conscientia, et iudicium rectum circa mutationem monetæ, augendo, vel decrescendo.

XXXIX. Suppono autem posse supremos reges monetam mutare (licet aliqui pauci oppositum senserint.) Et aliqui dicunt, absolute id posse facere regem non requisito populi consensu, ut ex pluribus theologis, et canonistis refert Joan. Baptista de Larrea in decisione Granatensi, disp. XII. Alii vero dicunt requiri populi consensum, idque attribuunt D. Thomæ supra citato loco. Sed id in tali loco D. Thomæ non invenio, sed solum dicit debere principem esse moderatum in mutando numismate, requiri autem in regnis numisma proprium, tum ex parte regis, tum ex parte ipsius populi, ut sit expeditior, et certior mensura in commutationibus. Certum tamen est melius et securius, facere principem si requirat assensum populi, non quia in populo maneat potestas aliqua ad mutationem, vel emissionem monetæ, sed in solo principe, cum sit una ex suis regaliis, sed quia est pars habens interesse, vel damnum in hac mutatione, et ideo ejus assensus congruenter petitur; sicut in Hispania requiri solet con-

sensus regni per suos procuratores, aut etiam consensus regii senatus. In regno autem Aragoniæ propter immunitates regni (vulgo fueros) videtur requiri populi consensus, ad quod alludunt verba Innocentii in textu citato: Ut jurares irrequisito populi assensu, etc. De quo videatur Larrea ubi supra.

XL. Fundamentum ergo conclusionis est sæpe repetitum, et deducitur ex D. Thomæ ubi supra dicente: « Quod moderatus debet esse princeps in mutando, sive diminuendo pondus, vel metallum, quia hoc cedit in detrimentum populi cum sit rerum mensura, unde tantum est mutare monetam, sive numisma, quantum stateram, sive quodcumque pondus. »

XLI. Sic ergo explicatur hoc fundamentum, quia in ista actione periclitatur damnum multitudinis, et reipublicæ in commerciis, et commutationibus, et in omnibus aliis pretio æstimabilibus, omnia enim hæc pecunia regulantur, et mensurantur, et facta mutatione semper in aliquod damnum pro aliqua parte incurritur; ergo nisi sit aliqua evidens, et certa utilitas reipublicæ quædamnum istud recompenset, non potest princeps mutationem facere monetæ, et tantodamno reipublicam exponere. Nunquam enim licitum est uti opinione probabili, relicta probabiliori, et securiori ubi intervenit damnum tertii, qui est in possessione, et spoliatur re sua, sicut per mutationem istam monetæ fit, quia si diminuitur ejus valor, perdit tota communitas, seu multitudo de substantia sua quam possidet in pecunia: si vero augetur valor, vel illud augmentum est pro rege, vel pro particularibus personis possidentibus. Si pro rege, nihil accrescit propriis dominis, et multum eis diminuitur pro commerciis cum aliis externis, qui crescunt valorem

mercium crescente valore illo. Si pro ipsis dominis possidentibus est lucrum augmenti, præterquam quod hoc solum cedit in bonum paucorum, qui inveniuntur cum actuali possessione pecuniæ, quæ augetur, et non aliorum, sicque emolumentum inde proveniens fortuitum, et casuale est, adhuc cedit in detrimentum commercii cum aliis externis, qui ex tali augmento monetæ, aut retrahunt commercia sua, aut reddunt cariora.

XLII. Et multo majus damnum solet accidere si augmentum valoris fit in numismate æreo, non in argenteo, et aureo, quod est communis mensura merciorum (nam ærea pecunia solum est pro minutioribus rebus) quia solet reipublica abundans viliori numismate, minui in pretiosiori ex argento, vel auro, quia externi pecuniam viliorum procurant eudere, et afferre, ut pretiosiores corradant si illa habet valorem majorem.

XLIII. Denique tot sunt experientia, et exempla, tum vetera, tum recentia de damnis, quæ regnis, et populis ex mutatione ista monetæ proveniunt, ut nulla alia ratione ad id probandum indigeamus. Nam præter exemplum illud Petri Aragoniæ regis apud Innocentium III, in capite Quanto jam citato, constat his temporibus, aut paulo ante, memoria parentum nostrorum in Scotia, Hibernia, Germania, denique apud Turcas mutationem monetæ gravissima attulisse incommoda, ut fusus ex pluribus auctoribus affert Larrea, ubi supra, disp. XII, num. a numero L, et in fine disputationis.

XLIV. Dices: Princeps utitur jure suo in augendo, vel minuendo valore numismatis, et sic poterit id facere non obstante quod sequitur aliquod damnum tertio, quia hoc est per accidens, nec tenetur aliquis

abdicare suum jus propter alterius damnum.

XLV. Respondetur principem habere jus ad eudendum numisma, et ad immutandum valorem ipsius quando oportuerit, non quomodo-cumque, sed secundum jus dominativum, et gubernativum, non secundum jus possessivum. Jus autem dominativum, et gubernativum non est ad utendum re aliqua ut libuerit; sed juxta fines, et exigentiam regiminis, id est, in bonum subditorum, non in destructionem, et damnum reipublicæ, sicut princeps in puniendo malefactores utitur jure suo, non tamen potest uti ut libuerit, sed juxta merita, et exigentiam causæ, et cum cognitione illius. Jus vero possessivum, ut cum quis possidet libertatem, famam, conservationem vitæ, et alia similia, etiam cum damno aliorum potest defendere, et uti illo jure, quia alter qui vult illo me spoliare, injuriam facit, et sic tueri possum illud, etiam si sequatur damnum alterius, hoc enim per accidens est. Rex autem, seu princeps in eudenda, vel mutanda moneta solum utitur jure suo dominativo, hæc enim est una ex suis regaliis: sed sicut in judiciis ferendis rex utitur potestate judicativa, quæ est jus suum, nec potest uti illa in damnum tertii, sed adstrictus legi justitia, ita in mutatione, vel conservatione monetæ, quia cum numisma sit mensura reipublicæ, in contractibus, et commutationibus, non pertinet ad regem de illa disponere, nisi in quantum pertinet judicare de æqualitate, et proportionem debita talis mensuræ, et sic illam constituere sicut bonum reipublicæ expedit. Quidquid amplius facit in tali mutatione, non utitur jure suo.

XLVI. Et hinc sumitur aliud fundamentum conclusionis, quod in hac parte valde notandum est, quia